



Die 17 Maii
Omnium Ss. Episcoporum Sanctæ Civitatis Jerusalem
Memoria

Ant. ad introitum

Ier 3, 15

Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascént vos sciéntia et doctrína (*T.P.* Allelúia).

Collecta

Deus, qui beátos epíscopos Civitatis sanctæ ad pascéndum pópulum tuum spíritu veritatis et dilectionis implevísti, eorum intercessióne concéde : ut pastóribus nostris sincéra caritáte et oboediéntia adhæréntes, una cum ipsis de terréna ad cælestem Ierúsalem transíre mereámur. Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

« *Unxit me Dominus et evangelizare pauperibus misit me* »

Lectio libri Isaiae prophétæ 6, 1-3a. 6a. 8b-9

Spíritus Dómini super me, eo quod únixerit Dóminus me, ad annuntiandum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde et prædicárem captívis indulgentiam et clausis aperciónem, ut prædicárem annum placábilem Dómino et diem ultiónis Deo nostro, ut consolárer omnes lugéntes, ut pónerem lugéntibus Sion et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium láudis pro spíritu mæróris.

Vos autem « sacerdótes Dómini » vocábimini, « ministri Dei nostri » dicétur vobis.

Dabo opus eórum in veritáte et fœdus perpétuum fériam eis. Et scient in géntibus semen eórum et germen eórum in médio populórum. Omnes qui víderint eos cognóscent illos, quia isti sunt semen, cui benedíxit Dóminus.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 22, 1-3a. 3b-4. 6 (R. 1)

Ry. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit (*vel* Allelúia)

- 1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit in páscuis viréntibus me collocávit, super aquas quiétis edúxit me, ánimam meam refécit. Ry.
- 2 Dedúxit me super sémitas iustitiæ propter nomen meum. Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis, non timébo mala, quóniam tu mecum es. Virga tua et báculus tuus ipsa me consoláta sunt. Ry.
- 3 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me ómnibus diébus vitæ meæ, et inhabitábo in domo Dómini in longitúdinem diérum. Ry.

ALLELUIA

Io 10, 14

Ry. Allelúia V. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus ; et cognósco oves meas, et cognoscunt me meæ.
Ry. Allelúia.

EVANGELIUM

Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis

† Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 10, 11-16

In illo témpore :

Dixit Iesus discípulis suis : « Ego sum pastor bonus : bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus ; mercenárius et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem et dímittit oves et fugit — et lupus rapit eas et dispérgit — quia mercenárius est, et non pértinget ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus : et cognósco meas, et co gnoscunt me meæ, sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem : et ánimam meam pono pro óvibus. Et álias oves hábeo quæ non sunt ex hoc ovíli, et illas opórtet me addú, cere, et vocem meam áudent, et fient unus grex, unus pastor.

Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, quaésumus, Dómine, hoc sacrificium pópuli tui,
ut, quod tibi in honóre beatórum episcopórum offértur ad glóriam,
nobis tribuas ad salútem perpétuam.

Per Christum.

Praefatio

¶. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

¶. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

¶. Gratias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere :

Dómine, sancte Pater, omnípotens, aëterne Deus :
per Christum Dóminum nostrum.

Tu enim Sanctórum tuórum confessióne mirábili
Ecclésiam hierosolymitánam nóva semper virtúte fecúndas,
nobisque certíssima præbes tuæ dilectionis indícia.
Sed étiam, ad mystéria salútis implénda,
et ipsórum insígni incitámur exémplu
et pia intercessióne perpétuo commendámur.
Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes :
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth...

Ant ad communionem

Mt 20, 28

Fílius hóminis non venit ministrári sed ministráre, et dare
ánimam suam redemptiōnem pro multis. (*T. P. Allelúa*)

Post communionem

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
illam nobis fidem innútriant,
quam et apostólica dócuit prædicatiō
et beatórum episcopórum sollicitúdo custodívit.
Per Christum.